

Dissertatio medica inauguralis, sistens observationes ad abscessum bursalem pertinentes : apud interrogationem publicam, prolocutas et sustentatas, die Julii 11, A.D. 1801, habitam : quam annuente summo numine, ex auctoritate Reverendi Josephi Willard ..., et honoratorum et reverendorum curatorum et etiam senatus academici consensu : nec non institutionis medicae decreto pro gradu doctoratus / eruditorum examini subjicit Gulielmus Ingalls.

Contributors

Ingalls, William, 1769-1851.
Fleet, Thomas, 1768-1827
Shurtleff, Benjamin, 1774-1847
Harvard 1801.
National Library of Medicine (U.S.)

Publication/Creation

Bostoniae : Typis Thomae Fleet, MDCCCIII [1803]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ad6xmxye>

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the National Library of Medicine (U.S.), through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the National Library of Medicine (U.S.) where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Benjamin Churchill
Doctorum magistro, Medi-
cina Baccalares, Mas-
sachusettsi. Medica So-
cietatis Socio.

Ex dono

Auctori




DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ABSCESU BURSALI.






DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
SISTENS
OBSERVATIONES
AD ABSCESSUM BURSALEM
PERTINENTES,
APUD INTERROGATIONEM PUBLICAM, PROLOCUTAS ET
SUSTENTATAS, DIE JULII II, A.D. 1801, HABITAM.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI
JOSEPHI WILLARD, S.T.D. LL.D.
UNIVERSITATIS HARVARDIANÆ PRÆSIDIS,
ET HONORATORUM ET REVERENDORUM
CURATORUM ET ETIAM SENATUS
ACADEMICI CONSENSU ;

NEC NON
INSTITUTIONIS MEDICÆ DECRETO,
PRO GRADU DOCTORATUS,

Eruditorum Examini subjicit
GULIELMUS INGALLS,
MASSACHUSETTENSIS.

BOSTONIÆ: Typis THOMÆ FLEET, MDCCCIII.



“U N I V E R S I S,

U B I C U N Q U E

T E R R A R U M,

HUMANITATIS CULTORIBUS,

REIQUE PUBLICÆ LITERARIÆ

F A U T O R I B U S,”

Tentamen hocce Medicum

Ea, qua par est, observantia,

D. D. D. C. 2.

GULIELMUS INGALLS.

PENES unumquemque semper fuerit, et quacunque de re scripturum, sermone uti simplice et perspicuo, quicum contentus esse debet; non enim credo cuiquam nunc fas esse optimos et elegantissimos proprius attingere scriptores.

Glutinosi vocantur humores qui varia corporis cava irrorant.—Omnis vero humor jam secretus, vel natura, vel morbo, plus minus resorberi potest, et in sanguinem redire, eundemque *nonnihil* corrumpere, et tum forsitan per organa non sua rursus fecerni, vel saltem transire.

GREGORY.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE
ABSCESU BURSALI.



BURSÆ Mucosæ, quæ Anatomicis recentioribus tam nominantur, sunt sacci membranosi, in vicinitate musculorum multum motum habentium, positi. Interstitia inter musculos multum motum possidentes faciunt; atque inter musculos et tendines, ac nonnunquam inter tendines et ligamenta, collocari inveniuntur. Musculum non perfecte amplectuntur; sed tantum eas musculorum partes, quæ se mutuo tangunt, vestiunt. Earum internæ, mucum limpidum lubricum, ad motum musculorum accelerandum; et molestas sequelas prævertendas, quæ sæpissime nimio ab attritu oriuntur; superficies secernunt.

Hodierni accurate situm Bursarum mucosarum descripserunt. Iæ ad musculos sequentes, Deltoiden, Bicipitem Brachii, Latissimum Dorsi, atque Teretem majorem.

majorem—Iliacum internum atque Psoan—Glutæum maximum, medium et minimum, Geminos, Bicipitem Cruris, Semimembranosum, Cruralem, Vastos, Gracilem, Sartorium atque Semitendinosum—Gemellum, Soleum, Tibialem internum atque Peronæum longum, adnasci dicuntur.

Bursæ mucosæ, quæ etiam “Bursarum tendinibus subjectarum, et sacculorum membranosorum,” nomen obtinuerunt, una cum aliis membranis inflammationi obnoxie sunt; per quod Abscessus Bursalis, morbus interdum periculosissimus, ortum ducit. Quem morbum describere, paucisque enunciare ejus phænomena, hujus dissertatiunculæ erit negotium. Hoc, fortasse, a casu subsequenti narrando, optime effici possit.

In autumnitate * homo, annos 22 circiter natus, corpore bene constituto præditus, cujusque modus vivendi liberalis fuit, ad meum consilium de acerbæ femoris affectione petendum, advenit. Ob femoris amplificationem, et calorem præternaturalem per totum membrum circumfusus; atque permansionem doloris, et facultatem ægri ad res usitatas laboriosasque peragendas; considerandum, eventum mali, quod quidem evenit, formationem abscessus alte siti, esse futurum. Ea ratio medendi, qui progressum morbi maxime interrumpere spectaret, est designata. Ut

hæc

hæc res consequeretur, diætam rigide antiphlogisticam observari, et vesicatoria frequenter admoveri, necesse fuit. Sic, emplastro epispastico applicato, vis inflammationis, dolorisque severitas, tum remissa tum mitigata est. Hic non silentio prætereundum, me raro ægrum videre ; eumque non omnibus meis normis obsequi. Nihilominus paulo post, admotu vesicatorii singuli facto, morbus, omnibus ejus symptomatibus magna ex parte imminutis, genu solum occupavit. Dolor in hoc articulo, et ejus amplitudo, morbum hydarthrum fuisse rheumaticum indicavissent ; vero tumor, inter femoris ossis condylum internum et patellam, paulatim accrescens, et pus in eo, digitis palpatum, cedens, sensumque liquidi subtus moventis præbens, rem fuisse abscessum plane demonstraverunt. Qui, usque ad ver, dolore incommittatus, neque ^{ulla} repentina corporis commotione stipatus, augescere non cessabat ; tunc temporis quidem aspectum formidulosum assumpserat.

Cum ver aliquatenus consumptum sit, medicorum convocatorum consultationem de morbo tanti momenti, eventusque tam incerti, libertatem habendi postulavi. Medici, consultatione facta, omnes consenserunt, ut quicquid in tumore contentum evacuaretur. Igitur, ab suo consilio, tumor lanceola pro abscessu in directione obliqua fuit ita incidendus, ut plaga cum parte pendula fieret ; per cujus os quacunque puris quantitas, nullo aëre ambiente in ejus cavum interim admissa, emitti posset.

Propter modum inæqualem, quo pus, eo agito, nunc huc nunc istuc fluxit, perspicuum fuit, ut in cystidibus sit inclusum ; autem postea non solum tumorem, eo aperto, esse Burfalem, licuit ; sed etiam eum de quibusdam sacculis componi, qui duntaxat ad semetipsos mutuo adjunxerunt. Nam tantum unum iter, inter sacculum internum et externum per aperturam parvulam femoris ossi anteriorem, est repertum. Situs quorum sacculorum, cum eo Burfarum mucosarum ab hodiernis descriptarum, æque ac earum, quas ipse in fœtus cadaver disseccando deprehendi, ad unguem convenit. E quibus Diagnosis morbi deduci possit ; morbum, nimirum, de quo tractamus, fuisse Abscessum Burfalem.

Ob vastam affectionis amplitudinem, arteriæ pulsus insigniter formicantem, enervatumque corporis statum, Prognosis morbi valde incerta, et quidem infauusta fiebat. Sed, non quidem omittendum, ut muscoli, post operationem summam firmitatem retinentes, et ægrotus natura corpore bene constituto præditus, prædictionem præstiterunt propitiorem.

Propter auxilium admodum magnum, in similibus rebus, salubritate aëris ruri deducendum, domicilium, quod non procul abfuit a Bostonia, elegimus ; ubi operatio, sub auspicio viri * sua arte præclari, est instituta.

Incisura

* JOHANNES WARREN, Anatomæ et Chirurgiæ Professor, vir ille clarissimus, qui a proprii sui ingenii vigore ad usque altissimum gradum in re medica cæterisque artibus et scientiis attigit.

Incisura, de qua supra diximus, utrisque femoris lateribus facta est. Pus e plaga externa liberaliter effluxit; vero iter per plagæ internæ os corpore lymphæ coagulatae est obturatum. Tantus fuit obex ut opus fuerit ad incisura orificium ampliandum, priusquam materies exauriri posset. Qua materies puri non penitus concocto fuit simillima, et tres libras pendebat. Postea totum membrum, ad musculos relaxatos suffulciendos; ad aërem circumambientem excludendum; adque adhæSIONem partium disjunctarum adjuvandam; lanea fascia vini gallici spiritu madida, præligabatur. Tumor lympham coagulatam ferumque continuit.

Evacuationem tantî puris in vicinitate magnæ femoralis arteriæ effici non posse, locuplenter patet, sine magnum tumultum in totum corpus afferente; atque nullam attentionem ad constitutionem corporis sustinendam remitti fore; ut hæc ab mali tam gravissimi effectis se recuperaret.

Quod ideo accidit, ut primum gangræna, post apertum abscessum, ægrum rapido interitu e medio tollere, deinde febris hæctica, miserum ægrotantem lenta labe consummare, minataretur.

Quia hi morbi consimilem tractandi modum exegerunt, tres nunc memorandas indicationes selegimus.

1°. Scilicet, ad periculum præcavendum, quod e relaxato musculorum statu, enasci posset; 2°. imminutis corporis habitus viribus; atque 3°. irritabilitate morbida. Quæ absolutæ sunt.

I°. A sustentandis femoris musculis, iis fascia constrictis, eo quod nifus suarum Particularum in contactum adjuvaretur.

II°. A sejungendo incisuræ labia, penicillo in plagam indito, eo quod et pus vitiatum et aër putridus profluerent.

III°. Ab adhibendo sodam vitriolatam et pulvem rhabarbari, eo quod alvi constrictio solveretur.

IV°. Ab adhibendo hæc medicamenta, ut requirenda sint, vinum, nempe, pulvem corticis cinchonæ rubræ, opium, tincturam opii camphoratum, decoctum radicis serpentariæ virginianæ, cum tincturis tonicis et astringentibus; ac præscribendo diætam levem, et nutritam; eo quod cum habitus corporis valesceret, tum irritabilitas morbida hebesceret.

Hæc methodus medendi exitum habuit felicem. Cujus potestati paulatim succumbuerunt morbi symptomata; atque sanatio, octo septimanis non prorsus præteritis, est perfecta.

Forfitan mihi liceat, ut, de quibus hætenus scripsimus, pauca notare aggrediar.

1°. Alvus primum astricta, quæ vix tandem soluta est. Quod attribuendum, partim repentinæ mutationi a diætâ maxime stimulante ad normam vivendi rigide antiphlogisticam; partimque conflictui corporis, quem operatio causabat.

2°. Licet astringentia, tonica, stimulantia, antispasmodica, revera opium, liberaliter exhiberentur; tamen appetentiæ dejectio, inquietudo, immodici nocturni sudores, tussicula, accessus febris, ob suam facultatem rapide debilitantem, morbo exitum infaustum minari perstiterunt. A qua doctrina hæc res est exponenda, pro certo affirmare nequeo, certo autem certius est, triste hocce spectaculum, tinctura opii camphorata administrata, feliciter mutari. Prima hujus medicamenti portio, incantato similis vel instar nepenthis Helenæ, suo functa est officio. Sudores nocturnos repressit; somnum induxit; atque vires exinanitas refecit. Totam efficaciam remedii specialis habere visum est. Postea non omnino opus fuit ad quivis alio medicamento utendum; etenim e morbo vires tam celeriter redintegravit æger, quam ut ipse, paulo post, ad pristinas res agendas, se suscepit.

3°. Non omnino omittendum, ut, dum convalescebat æger, extuberatio mollis, et dolor inter condylum internum et patellam, suo genu denuo infederint; atque pus largiori in quantitate secretum e vulnere interno copiosius effuderit; vero, aditu ab inflatione ad
aperturam

aperturam incisura factam indagato, unam circiter mucii limpidi glutinosi unciam pondo expressi ; postea sanatio sine intermissu progressa est ; et membrum ita validum evasit, ut ipse hodie integro ejus usu fruitur.

4°. Nihil, quod ad hunc casum attinet, ^{ut} ad operationem incisura cum parte pendula patranda, retulit ; nam necesse fuit, partem pendulam, ut supra diximus, patefieri, ne, hac occlusa, coëat incisura. Verumtamen labia plagæ cujuslibet, pariter ac labia incisuræ cum parte pendula, cum se mutuo tangant, prima intentione chirurgorum, quavis in parte, qua vitalis vis musculorum fuit integra, adhærere vellent. Præcipuum hujusmodi operandi propositum mihi fuisse videtur, ut pars fluidi abscessus permagni sine ambiente aëre admittente emitti posset ; (qui aër, ut qui inquit medicinam facientes, non solum ad absorptionem intendendam semper spectat ; sed etiam secretionem puris augendam ; adque eum revera vitiandum ;) tunc pars pendula est arcte claudenda, ac partes facia tamdiu præligandæ, dum hæc satis vigoris reficiantur, eo ut ad operationem iterandam expediatur. Qua operatio iterum iterumque est eousque repetenda, donec moles abscessus sit tam diminuta, ut hic sine funestis eventis producentibus latius rescindatur, quæ a tumoribus prægrandibus repente evacuandis sæpe sequuntur.

Facultas pus fecernendi est minus prompta, et potestas absorptionis morbidæ magis strenua in abscessu, antequam

antequam aër atmosphæricus intra cavum introit. Sed ad tonum adventitium, tumori mechanica magnæ fluidi quantitatis pressura, allatum, ascribendum. Nam, hac distentione remota, vasa exhalantia relaxantur, et pus affatim effundunt; atque quam quidem minus plus laxantur, tam pus fit minus plus laudabile; etiamque vasa absorbentia, iis relaxatis, suam vim absorbentem amittunt; atque, nisi aër atmosphæricus vim cum absorbentibus propriam habet facultatem communicandi, necessarium est, absorptionem, postquam aperitur abscessus, diminui. Aër atmosphæricus, sub communi animalium caloris temperie, viventi fibræ, in pneumatosis putæ, et aliis morbis, est prorsus innoxius ac haud irritans; nobis, ergo, videtur ejus vim irritantem absorbentibus levis omnino esse momenti. Exinde, ut, post abscessu aperto, tum decreseat absorptio, tum accrescat puris secretio, deduci possit.

Haud ignarus sum hanc doctrinam opinioni ratæ repugnare, nimirum, ut febris hæctica ex absorptione morbida pendat. Vero hæc opinio, ut puto, ejus antiquitati magis debetur, sanctionique ab eruditis ei datæ, quam suæ congruentiæ legibus œconomiae animalis. Denique, re observationum serie indagata, colligere fas est, ut opinor, ut omnia febris hæcticæ phænomena, potius e depletione et exinde irritabilitate, quam absorptione morbida, originem educere exponantur. Fatendum quidem, ut extent exempla puris, nempe, in abscessu resorpti; sanguinis in venas effusi, in contusione; humorisque distillati, in hydrope; attamen,

attamen, fere accidit, ut in corpus adferantur nulla morbida effecta, nec etiam nullus tumultus. Si, in hujusmodi sermone, nobis hancce digressionem ulterius extendere liceret, theoriam hodiernam, ad febris hecticæ phænomena explicanda, absorptionis morbidæ auxilium non poscere, forsan demonstraremus. In presentia nos, ad rem investigandam et perscrutandam, omittere decet.

5°. Abscessus Bursalis non solum in uno sacco, sed etiam multis, contineri potest. Cum semel suppuratione in una Bursarum mucosarum obvenit; (secundum principium, ut materies, cum primum redditur, assidue penetrare in partes, quæ suæ distentioni minus resistuntur, molliatur;) pus in adjunctos saccos semet insinuare possit, aut etiam in partes, ubi Bursæ sunt non valde manifestæ, priusquam integumenta perumpit. In hoc modo, immodica abscessus magnitudo, de quo tractamus, ac ejus forma, quæ tumori cum cystidibus fuit haud absimilis, explanandæ sunt.

6°. Abscessus Bursalis externa noxa exoriri possit.

7°. Bursæ fere pari ratione, quam pleura, inflammationi locali pyrexia comitatæ, subjectæ sunt. Dissimilitudo solum, notatu digna, in indiciorum singulæ membranæ propriorum serie, ac methodo medendi, a re proficiscitur; scilicet, propterea quod pleura partem vitæ magis idoneam, quam Bursa, proxime involvat.

8°. Eo ut infelicia Burfarum mucosarum effecta præverterentur, confugiendum, ad opem venæsectionis, laxativorum, sudorificorum; ad universam inflammationem, seu febrem, discutiendam; atque ad opem detrahendi sanguinem, per scarificationem ac cucurbitularum impositionem, vel hirudinum seu sanguisugarum admotum; et applicandi vesicatoria; ad localem inflammationem reprimendam. Sed, cum abscessus in totum reddatur, opus est, ut quicquid in eo contentum foras ejiceretur. Ratio, qua peragendum est, ut supra diximus, nullo modo tanti est momenti, quantum, ut eæ res removerentur, quæ morbi medelam retardare; atque ut ea medicamenta administrarentur, quæ ægrotum ad sanitatem redigere, possent.

F I N I S.



